

LITTERARVM VIS

Omnium gentium seminaria de litterarum
virtutibus penitus intellegendis



Litterae inditos nobis a natura honestatis igniculos excitant; luxuriantes quasique fruticantes cupiditates stringunt ac coërcent, easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis, duces et magistrae sunt ad virtutem; prosperis rebus ornamento sunt, solacio adversis; neque illis exsultare atque efferri suos, neque his frangi ac deprimi sinunt; eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt.

(M. A. Mureti oratio XXIII *De utilitate, iucunditate ac praestantia litterarum*, habita Romae a. d. XV Kal. Nov. a. MDLXXIII)

Peracto Neapoli superiore aestate conventu HUMANITAS nuncupato, apparitores, felici conventus successu incitati, ordinare statuerunt, una cum amicis collegisque Hungaris, seminaria quaedam Latina Segedini ac Budapestini, in inclitis Hungariae urbibus habenda. Quae seminaria sub nomine quod est "LITTERARVM VIS" celebrabuntur; ita tamen ut iuvenes iam biduo ante ceteros eodem congregentur, ut a peritioribus usu sermonis Latini extemporali initiari queant. Ad haec seminaria participanda ii omnes vocantur, qui humanitatis studiis addicti de iisdem cum praeceptoribus ac condiscipulis sermocinari disputare deliberare cupiant.

Argumenta tractanda erunt maxime varia, sicut varia est vis quam litterae exercent; participes igitur verba facient de artibus deque Musis omnibus, quae modo excitant modo sedant animi affectus; de vita civili deque arte rhetorica, qua bonus vir cum dicendi peritus tum publici boni defensor fit; de rerum denique gestarum historia deque pueris instituendis, qui virtutum vitiorumque aetatis suae magis sibi conscii fiunt si ea cum moribus institutisque praeteritorum temporum comparant. Quia *pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet*: nam *haec studia adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur*.

Litterae inditos nobis a natura honestatis igniculos excitant; luxuriantes quasque fruticantes cupiditates stringunt ac coërcent, easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis, duces et magistrae sunt ad virtutem; prosperis rebus ornamento sunt, solacio adversis; neque illis exultare atque efferri suos, neque his frangi ac deprimi sinunt; eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt.

(M. A. Mureti oratio XXIII *De utilitate, iucunditate ac praestantia litterarum*, habita Romae a. d. XV Kal. Nov. a. MDLXXIII)

The organizers of HVMANITAS, the international conference held last summer in Naples, encouraged by that event’s success, have decided to organize, in association with friends and colleagues in Hungary, a series of Latin seminars under the rubric “LITTERARVM VIS” in Szeged and in Budapest, Hungary. Younger participants are invited to arrive two days before the others, for an orientation, during which more experienced participants will initiate others in the active use of Latin. The event is intended to gather all those committed to the *studia humanitatis* to discuss, exchange experiences, and engage in dialogue with teachers and fellow students.

The themes addressed in the this summer’s seminars will be as varied as the “vis” (impact, influence, force) exerted by “litterae” (letters, literature, scholarship). We will discuss the liberal arts and the studies represented by each of the muses, and how these sometimes quicken, sometimes slacken the passions; civic life and the art of rhetoric, through which the citizen becomes *dicendi peritus* and *publici boni defensor*; and history and its role in the education of the young, who gain an awareness of the virtues and vices of their own age as they compare it with the culture and customs of past centuries. In these discussions, the words of Cicero will guide and inspire us: *pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet: for haec studia adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Litterae inditos nobis a natura honestatis igniculos excitant; luxuriantes quasique fruticantes cupiditates stringunt ac coërcent, easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis, duces et magistrae sunt ad virtutem; prosperis rebus ornamento sunt, solacio adversis; neque illis exsultare atque efferri suos, neque his frangi ac deprimi sinunt; eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt.

(M. A. Mureti oratio XXIII *De utilitate, iucunditate ac praestantia litterarum*, habita Romae a. d. XV Kal. Nov. a. MDLXXIII)

A 2007 nyarán Nápolyban megrendezett *Hvmanitas c.* konferencia sikere az esemény rendezőit arra bátorította, hogy magyar barátaikkal, s munkatársaikkal egyesítve erőiket Szegeden és Budapesten latin nyelvű szemináriumok rendezésébe fogjanak “LITTERARVM VIS” címmel. Az eseményre mindazokat várják, kiket érdekel a latin nyelv, s az avval összekapcsolódó humán és reál tudományok (*studia humanitatis*). Az összejövetel előtt a szemináriumi foglalkozásokat megalapozó, a latin élő használatára felkészítő órák lesznek a megelőző két napon.

A témakörök változatosak lesznek, miként az a szerep és hatás is, melyet az irodalom magában foglal, sokrétű. A résztvevők tehát beszélgetnek majd a művészetekről, az emberi lelket felkavaró, majd megnyugtató költészet és zene különböző műfajairól, a polgári létről, a retorikáról, történelemről, s a fiatalság neveléséről. A vezérfonál Cicero gondolata: *pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet: nam haec studia adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

DE VRBE SEGEDINO

Segedinum, quae urbs apud fines Hungariae qui inter meridiem et orientem solem spectant in utraque fluvii Tibisci (*Tisza*) ripa sita est neque longe ab ostio fluminis Marisi (*Maros*) distat, est caput Orodienensis comitatus (*Czongrad*), ubi non modo commercia exercentur vigentque verum etiam disciplinae et artes liberales summopere coluntur. Quibus de rebus et incolarum numero quarta est inter maximas Hungariae urbes, quippe in qua circiter centum et sexaginta milium hominum habitent, quorum numero addenda sunt quindecim milia discipulorum, qui quotannis Universitatem Segedinensem frequentare solent. Iam Imperii Romani temporibus oppidum eodem in loco florebat, ubi castra etiam erant posita quorum milites auri et salis ex Dacia vecti commeatum defenderent atque tuerentur. Saeculo XIII exeunte oppidum Segedinum urbis dignitatem accepit et quod ad mercaturas exercendas et ad humanitatis cultum fovendum attinebat totius regionis caput facta est; saeculo autem XV eius cives fortiter cum Turcis Hungariam invadentibus pugnaverunt. Postquam vero, infesto Marte, Hungaria tota in Turcarum potestatem est redacta, ecclesia Divo Francisco dicata, quae in mediaevalis urbis finibus ad meridiem spectantibus est sita, unus fuit locus tota in regione, ubi religio Catholica coli etiam tunc potuit.

Totius vero urbis historiae annus MDCCCLXXIX maxime horribilis habendus est, cum eluvio facta sit cuius impetu tota fere urbs vastata et deleta est. Aquae enim Tibisci extra ripas diffluerunt nec ullae nisi ducentae et quinquaginta e sex fere milibus aedium steterunt, ceteris omnibus aquarum vi tumidisque fluminis undis solo aequatis. Cuius calamitatis cum nuntius ad ceteras Europae gentes delatus esset, statim pecunia confluere coepit ut urbs instauraretur ad novumque splendorem adduceretur, quod et ipse Imperator Franciscus Iosephus cum Segedinum visitavisset se praestitutum promisit. Inde factum est ut nostris temporibus urbs, praeter vetusta monumenta, qualis est turris Sancti Demetrii Romano quod dicitur genere exstructa, ecclesia Divo Francisco dicata et ordine Gothico aedificata, templa praeterea Baroci generis, et synagoga, etiam aedes

pulcherrimas ac Nova quam vocant Arte (*Art Nouveau*) ornatas non minus pulchre et eleganter ostendat atque peregrinorum visui delectationique offerat praebeatque.

DE VRBE BVDAPESTINO

Budapestinum, quae urbs in utraque fluminis Danuvii ripa posita est, ex tribus nobilissimis urbibus inter sese anno MDCCCLXXIII conflatis atque coniunctis constat: Buda scilicet, Pestino et Obuda sive Buda vetustiore, quae, cum etiamnunc aquarum salubritate est notissima, tum antiquissimis iam temporibus, nomine *Ak Ink*, quod lingua Celtica fontem copiosarum sonat aquarum, non sine honore florebat; ex quo nomine Romani postea *Aquincum* oppidum illud appellaverunt, quod saeculo I p.Ch.n. a legionibus quae Pannoniam occupaverant conditum est; quae regio saeculorum decursu Hungariae facta est pars occidentalis. Castrensiarum vero aedificiorum et maximorum aedium civilium, quibus olim totum oppidum ornabatur, non nisi vestigia quaedam manent ac parietinae: amphitheatri videlicet, sacelli Mithrae dicati et publicarum thermarum rudera. Saeculo V ineunte Gothi, Hunni, Gepidae, Langobardi, Avars, Franci Moravique, qui propter populorum illas magnas migrationes Europae terras ad occidentem vergentes occupabant, superatis munimentis devictisque militibus qui praesidio ibi erant civibus, oppidum expugnaverunt finibusque omnibus potiti sunt. Saeculo IX exeunte, gens Hungarica ad regionem illam usque pervenit quam in suam dicionem redegit; saeculo vero XIII Hungari Budam sedem regiam transtulerunt, quo tempore etiam Pestinum labore atque industria Hungarorum Germanorumque incolarum – e quibus gens mixta orta erat – mirum in modum florescere coepit. Sub regibus Sigismundo I, qui ab anno MCCCLXXXVII usque ad annum MCDXXXVII regnavit, et Matthaeo I, qui ab anno MCDLVIII ad annum MCDXC Hungariam imperio rexit, non modo divitiis opibusque tota regio affluebat sed praesertim exquisita doctrina et optimis studiis, quae in reconditis artibus versantur, apprime distinguebatur et enitescebat. Tunc enim

humanae litterae vigeant, tunc disputationes de naturalibus quaestionibus sponte exoriebantur, praesertim apud illam fama notissimam Bibliothecam Corvinianam, quae saeculo XV inter maximas Europae bibliothecas habebatur, cui tantum Vaticana librorum numero praestabat cuiusque exemplo dicitur Laurentius ille e Medicea gente bibliothecam Florentinam condere voluisse. Temporibus vero Ladislai eius nominis secundi, innumeri poetae et bonarum litterarum studiosi Hungari, Itali, Germani et Bohemi artes omnes et liberales disciplinas exquisitissime colebant. Attamen post pugnam apud Amantiam sive Anamasciam (vulgo *Mohác*) anno MDXXVI commissam et praesertim postquam anno MDXLI Turcae arcem obsessam ceperunt, Buda non iam fuit regni Hungarici sedes et caput neque urbs resurgere coepit nisi post annum MDCLXXXVI, cum ab Othomannica dominatione Hungari eam in libertatem vindicassent. Latinitatem ingenuasque litteras Patres Iesuitae et Franciscani iterum restituerunt. Cuius autem aetatis Latinitate et litterarum studiis maximopere ornatae finis legibus anno MDCCCXLIV reformatis decretus est, quibus est praeceptum ut, misso sermone Latino, omnia negotia publica, uti etiam in scholis litterarum studia, Hungarica lingua pertractarentur. Hisce nostris temporibus Budepestinum, quam vicies fere centena hominum milia incolunt, magnitudine et civium numero ceteris omnibus urbibus, quae in Europae mediae regione ad orientem vergente sitae sunt, vel maxime praestat.

Ordo rerum in conventu agendarum

Die XXII mensis Iulii

15.00-20.00 - Participes pervenient et cubicula sua occupabunt. Nomen scribis et amanuensibus conventus ab omnibus participibus dandum; supellex scriptoria et omnia ad seminaria necessaria tradentur

20.30 - Cena

Die XXIII mensis Iulii

PRAEVIAE SESSIONES:

9.00-10.30 - IN FACULTATIS LITTERARVM ACADEMIAE SEGEDINENSIS AEDIBVS

sessio 1 - JAN ORSZÁGH (*Academiae Carolinae Pragensis*): **Ibam forte via sacra (Hor., Satira I, 9)**

Partes huius satirae ante selectae argumento proposito discipulis erunt legendae. Primis versibus enodatis, qui praeterea luce clariores sunt, ita ut vix invenias intellectu faciliora, utilissimae proponuntur discipulis locutiones, quas in usu prope diurno nocturnoque erunt, velut „quid agis, dulcissime rerum?“, „suaviter, ... cupio omnia quae vis“ et plurima id genus. Cum in satira agat homo quidam Horatio „notus nomine tantum“, molestus et loquax, participibus, praeter quam quod nova verba adhibenda ediscent, et risum, ut exspecto, sermo movebit. Ad haec igitur schola tendit: ut participes nova discant, cognitio delectentur et usum quandam simul capiant, praesertim cum idem et poeta ipse suadeat dicens: „aut prodesse volunt aut delectare poetae / aut simul et iucunda et idonea dicere vitae“ (Epist. II, 3, 333sq.).

sessio 2 - JIŘÍ ČEPELÁK (*Academiae Carolinae Pragensis*): **De ignorantia**

Longe lateque patet hominum ignorantia; quod iam inde ab antiquissimis temporibus verum esse non solum Socrates se nihil scire professus ceterisque permulti et doctissimi quidem verum esse affirmaverunt, sed

etiam Franciscus Petrarca et Erasmus Roterodamus, humanistarum qui dicuntur principes, haudquaquam ignoraverunt; quorum hic pulcherrima *Colloquia familiaria* et *Laudem stultitiae* conscripsit, ille libellum *De ignorantia sui ipsius et multorum aliorum* composuit; quae, si per tempus stabit, huius scholae participes et cursim legendo et apertis verbis disputando tractabunt.

sessio 3 - IGNACIO ARMELLA CHÁVEZ (*Publicae Academiae Mexicanae*): **Bellicae narrationes: de bello Albano apud Livium**

Quidam loci ex Livii primo Historiarum libro proponuntur, ubi de bello quod in Albanos gessit Tullus Hostilius rex narratur. Dum Patavina illa eloquentia ubertateque delectamur, nos, quibus nimia mordacitas ingenii est tempore mitigata, multas et varias excerpemus locutiones quas, excussis quibusdam disputationibus, copia dabitur adhibendi. Hic erit denique huius scholae scopus, ut optimum exemplar perhibeatur illius consilii apud veteres usitatissimi, iuxta quod oblectamentum est doctrinae coniungendum, uti lectores non modo commoveantur, sed gaudento discant.

10.30-11.00 - Pausa

11.00-12.30

sessio 1 - PETER BÁRA (*Academiae Segedinesis*): **Quid Valerius Maximus de Necessitate senserit in opere, quod *Facta et dicta memorabilia* inscribitur**

Num sit divinum quoddam numen Necessitas, aut tantummodo pars vitae, quicum una vivere cogamur, perscrutabimur. Sitne bona, an mala, saltem iuxta Valerii Maximi sententiam, videbimus. Huc addite, quod exercebimus variis modis formas, locutionesque linguae Latinae, quo penitius ipsum textum excutiamus atque rimemur.

sessio 2 - CECILIE KOCH (*Academiae Salisburgensis*): **De Plinii Minoris *Epistulis* colloquium prius**

Recitabuntur epistolae Plinii (satis lente et in singulas sententias divisae), quas participes audientes intellegere conentur; quaque sententia saepius recitata et, si necesse erit, explicata participes suis verbis dicant, quid intellexerint, et describere conentur, qua de re agatur.

sessio 3 - ALEXIS HELLMER (*Publicae Academiae Mexicanae*): ***Bibliophila et philia apud Petrarcam sive de artissimo vinculo quo bonae litterae et homines boni inter sese coniunguntur***

Velim hoc in seminario breviter colloquamur de cura maxima qua Petrarca, praeclarus scriptor et humanistarum princeps, simul antiquorum scriptorum libros studiosissime quaerebat, emendabat, edebat, et amicos diligenter observabat, consulebat, aliis amicis commendabat, ut res publica illa litterarum, cuius fitor et auctor erat, augetur et confirmaretur, putans, et merito quidem, nihil exstare maioris pretii atque momenti ad humanitatem in animis nostris roborandam quam vera amicitia quae in cultu bonarum litterarum fundaretur atque institueretur.

13.00 - Prandium

15.30-17.00

sessio 1 - PETER BÁRA (*Academiae Segedinesis*): ***De vita M. Porci Catonis a Cornelio Nepote descripta***

Tractabimus vitam M. Porci Catonis, qui cum in litteris tum in re publica versatus est. Videbimus, quo modo se gesserit adulescentulus, quo pacto pugnaverit in proelio apud Senam, ut servaverit integram virtutem per totam vitam. Loquemur de institutis honoribusque rei publicae et de vita publica, quae peculiaris ac propria fuit Romanorum.

Textus occasionem praebet ad locutiones et verborum iuncturas exercitandas, quae ad cursum honorum magistratusque ineundos spectant, qua ex re auditores paulo paratiores in arenam scholarum descendent quae insequentibus diebus agitandae erunt.

sessio 2 - BARBARA DOWLASZ (*Academiae Iagellonicae Cracoviensis*): ***Platano sub alta hortuli tecum veteris sedere. Variarum amoris formae apud poetas Latinos huius nostrae aetatis***

Plurimi Latinitatis amatores operibus tantum antiquis legendis - pro dolor - contenti, uberrima operum nostri saeculi copia vel prorsus ignorant, vel consulto spernunt cum horum operum scriptores nihil aliud fecisse arbitrentur, nisi exemplaria Romana Graecaque vitiose imitatos esse. Eos omnes omnino errare censeo; itaque hoc in seminario participibus proponere velim quaedam poemata Latina huius nostrae aetatis tractanda, quorum inter auctores numerabuntur Anna Elissa Radke (Germana), Alanus Divutius (Belga) necnon Gerardus Alesius (Austriacus), qui nempe clarissimi nostrorum temporum poetae haberi possunt.

Argumentum principale, de quo colloqui velim, erit amor eiusque variae formae ab illis poetis descriptae; argumentum fortasse omni modo iam pervulgatum, attamen grave quodque a plurimis diligitur, ac firmiter cum vita humana coniunctum est. Quomodo auctores vicesimi atque unius et vicesimi saeculi tractant amoris argumentum? Quam multum eorum mens ab antiqua differt? Quibus rationibus, quibus scribendi modis utuntur? His aliisque quaestionibus responsa, fragmenta proposita legentes, una invenire conabimur.

Tam brevi tempore de perpaucis nempe cum particibus disputare valebo, nec diligentius de rebus auctorum propriis narrare. Itaque talem mihi finem huius lectionis proposui, ut iuvenibus carmina Latina, eaque optima, fingi etiam nostris temporibus posse monstarem, eosque ad ea legenda investigandaque hortarer.

sessio 3 - ALEXANDER WINKLER (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **De Petrarca**

Loquemur de Francisci Petrarcae vita, de temporibus quibus fuit, de operibus quae scripsit (pro temporis necessitate admodum pauca); deinde quanti aestimandus sit et quantum maiorum memoria valuerit quantumque apud aequales nostros valeat disputabimus.

Legemus ad haec omnia melius pensitanda primam epistulam earum quae *familiares* dicuntur, dein alteram quam scripsit *posteritati*.

17.00-17.30 - Pausa

17.30-19.00

sessio 1 - ALEXEY BELIKOV (*Publicae Academiae Russicae humanitatis studiis colendis*): **Orpheus, sive de Philosophia**

Propositum est eam partem e Francisci Baconis libro *De Sapientia Veterum* tractare, qua illius Orphei fabula narratur; quam fabulam vir ille illustris sicut allegoriam Philosophiae callide nec non eleganter explicat. Placet itaque et fabellam pulchram legere et de rebus sublimibus disputare.

sessio 2 - BOŘIVOJ MAREK (*Academiae Carolinae Pragensis*) - PETR HONČ (*Academiae Carolinae Pragensis*): **Ex Evangelio secundum Lucam loci selecti**

Participibus locos aliquot ex *Evangelio secundum Lucam* sumptos proposituri sumus quos faciles lectu intellectuque ducimus nec non iuveni-

bus ad Latine sermocinandum adhuc inexercitatis maxime aptos. Textus enim Evangelii in fabulas singulas dividitur quae sine ulla dubitatione a lectoribus non solum verbis aliis multo quidem usitatoribus retractari verum etiam ope textus Graeci appositi atque libri commentarios complectentis facile, ut speramus, enodari explicarique possunt. Praeterea animos ad peculiarem huius operis linguam diligenter advertemus. De pondere autem ac gravitate Evangelii non necesse est hoc loco disseramus – argumentum ipsum sessionis nostrae per se loquitur.

sessio 3 - ALEXIS HELLMER (*Publicae Academiae Mexicanae*): **Iani Vincentii Gravinae orationis quae *De canone interiore* inscribitur nonnulla fragmenta**

Est inter opera Iani illius Gravinae - cuius expolitissima verborum elegantia et floridissimum scribendi genus ornat et illuminat non minus amplam eruditionem neque minus altam animi honestatem, quibus ille inter illius saeculi doctissimos lepide splendebat - oratio de canone interiore quae vocatur, qua perbelle exhortabatur discipulos suos ad animos non legibus extrinsecis ad bonum atque iustum informandos sed insito quodam virtutis sensu et intima certa que animi persuasione, qua recte agere non grave munus sed delectabile quoddam officium illis semper videretur; quam persuasionem optimorum scriptorum assidua frequentatio alit et creber humanitatis cultus firmat et roborat. Proponentur enim hoc in seminario selecta quaedam huius orationis frustula, ut postea de illis rebus perlectis disputare possimus quae magis ad nostram aetatem pertinere videantur.

19.30 - Cena

21.00 - Concertus modorum mediaevalium a grege, c.n. *Sub Rosa*, edetur

Die XXIV mensis Iulii

PRAEVIAE SESSIONES:

9.00-10.30 - IN AEDIBVS FACVLTATIS LITTERARVM ACADEMIAE SEGEDI-
NENSIS

sessio 1 - GIUSEPPE MARCELLINO (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **E mortuis quomodo discendum? Possuntne mortui loqui?** (Vives, *Exerc. Ling. Lat.*, XX)

Quam Iohannes Ludovicus Vives conscripsit *Exercitationem Linguae Latinae*, illam non modo adultis sermonis Latini amore iamdudum correptis, sed etiam iuvenibus litteras omnesque artes libero homine dignas diligere atque excolere incipientibus frugiferam atque fructuosam esse nemo est qui neget. Huius seminarii participes colloquium recitantes, quod *Princeps puer* inscribitur, singulas sententias Latine explanare conabuntur non sine moderatoris auxilio. Sic enim una comperiemus quidnam rei responderit sapiens ille praeceptor Philippo, parvulo principi, quomodo e mortuis discendum esset percontanti.

sessio 2 - JIŘÍ ČEPELÁK (*Academiae Carolinae Pragensis*): **De tolerantia**

Hanc sessionem celebrantes imprimis in epistulam, quam Iohannes Lockius, praeclarus philosophus ex Anglia oriundus, *de tolerantia* conscripsit, incumbunt quo melius intellegant quid sibi decursu temporum voluerit tolerantia; dein, quoad poterunt, de ipsa tolerantia eiusque beneficiis deque modo, quo sit colenda, libere disputent; nam praesertim hac nostra aetate et maxime in Europa tolerantiae quaestio magni momenti videtur esse, cum plurimi tam multa et terribilia item paucis abhinc annis passi sint ipsaque tolerantia propter hominum varietatem identidem in discrimen vocetur.

sessio 3 - ALEXANDER WINKLER (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **De metamorphosi quadam ab Ovidio descripta**

Fabellam de Narcisso et Echo legemus, verbis mutatis denuo narrabimus, cur ita evenerint ut evenisse dicuntur res disseremus; deinde agendi loquendique causas explicabimus, iocos (quorum non parvus numerus inest) enodabimus quidque Ovidii proprium sit expediemus.

10.30-11.00 - Pausa

11.00-12.30

sessio 1 - BARBARA DOWLASZ (*Academiae Iagellonicae Cracoviensis*): **Heros septimi decimi saeculi. De Iohanne Sobiescio, rege Polonorum variis virtutibus exornato, qui Turcas in pugna ad Vindobonam anno 1683 commissa vicit**

Iohannes ille Sobiescius non solum apud Polonos, quorum rex fuit ab anno 1674 ad a. 1696, sed etiam apud Austriacos magnam commeruit laudem, quibus, cum copiae Turcarum, Kara Mustafa duce, qui orientalem Europae partem in potestatem suam redigere cupiebat, Vindobonam invadere voluissent, auxilium tulerat. Rex ergo ille praeclarissimus est et in Polonia, et in Austria, et ab ambabus nationibus etiam hodie colitur.

De illo quidem duo carmina epica saeculo septimo decimo ficta sunt, quorum primum, a Iohanne Kalinski conscriptum, “*Viennis*” inscribitur, alteri vero, quod A. Ustrycius panxit, “*Sobiescias*” index est; apud quos poetas Sobiescius ille heros quidam antiquus videtur esse, virtutibus variis splendens, decore omni exornatus. Fragmenta horum operum pauca simplicioraque quidem participibus proponere velim, ut ipsi inspiciant, quomodo auctores regem illum descriperint, ac disputatione exorta decernant, utrum persona in carminibus praebita multum aut parum a specie veri hominis differat necne, et quomodo fiat, ut antiquis heroibus (Aeneae, Achilli cet.) tam similis esse videatur.

sessio 2 - BOŘIVOJ MAREK (*Academiae Carolinae Pragensis*) - PETR HONČ (*Academiae Carolinae Pragensis*): **De controversia**

Neque orationem neque fabulam neque vero quemquam textum lecturissimus. Animum enim induximus, ut Senecam Rhetorem sequentes *controversiam* excitaremus inter participes. Nemini quidem ullo pacto, argumento controversiae proposito, erit verendum, ne satis acriter in adversarium impetum non faciat neve sententias proferens dubias rem suam non defendat: nam greges instruemus, in quibus aut defensores aut *advocati Diaboli* rationes suggerant firmas et certissimas atque rei dubiae una fidem faciant. Ergo de qua re rixandum erit? Multa certe eligi possunt: e.g. *Haud facile femina una inveniri bona*, ut ait Pacuvius in *Tragoediarum fragmentis* (425), aut *Debeantne milites Americani ex Iraquia domum redire...* Attamen omnes, ut suspicor, amicitia atque humanitate quadam in Hungaria frui cupimus neque quemvis participem in iurgio vulneratum in nosocomium volumus comitari. Quam ob rem disputandum erit potius de re nobis omnibus communi - *De Latinitate viva deque „vita“ eius*; (*Sitne adhuc operae pretium Latine temporibus nostris loqui*) – etiamsi difficillimum forsitan fuerit nonnullis rem aggredi quae iis potius cordi sit....

sessio 3 - PATRICK OWENS (*Academiae Kentukianae*): **Confessiones D. Augustini IV(9) - VI (12)**

Est hic locus *Confessionum* clarissimus in quo Augustinus de pomorum crimine loquitur. Augustinus multa lectori offerre potest siquidem hoc in

loco sententias suas de amicis aperit, et de mali genere necnon de eius causis. Denique cum de Augustini scribendi genere tum de locis hisce in paragraphis laudatis brevi loquemur.

13.00 - Prandium

15.00-16.30

sessio 1 - JAN ORSZÁGH (*Academiae Carolinae Pragensis*): **De mira femina, quam unice amare omnes homines decet (Boeth., *De cons. Philos.*, lib. I)**

Versibus qui in proemio sunt omissis, schola inde a loco, ubi doctus vir „haec dum mecum tacitus ipse reputarem“ scribit, initium capiet. Sequitur statim feminae mirae descriptio, quae, ut postea scriptor revelabit, figura est ipsius Philosophiae. Hac in pagina utilissimae inveniuntur locutiones, quae ad staturam describendam discipulis magno usui esse poterunt velut „mulier reverendi admodum vultus“, „oculis ardentibus, colore vivido“ et porro alia. Postea de veste eius etiam verba fiunt, quibus illustratis atque expositis ad eum locum transgredietur lectio, ubi – post metrum II – his mulier dignissima verbis Boethium alloquitur: „Tunc es ille, ... nihil periculi est.“ Hac in schola iuvenes cum nova quaedam memoriae mandare poterunt, tum id agetur, ut dignissimi inusitatissimique feminae illius visus amore tacti ad sapientiae studium adducantur.

sessio 2 - CECILIE KOCH (*Academiae Salisburgensis*): **De Plinii Minoris Epistulis colloquium alterum**

Recitabuntur epistolae Plinii (satis lente et in singulas sententias divisa), quas participes audientes intellegere conentur; quaque sententia saepius recitata et, si necesse erit, explicata participes suis verbis dicant, quid intellexerint, et describere conentur, qua de re agatur

sessio 3 - PATRICK OWENS (*Academiae Kentukiana*): **Epistola S. Hieronymi XXII, 30-32 ad Eustochium**

Tractabitur hac in sessione epistula Divi Hieronymi ad Eustochium. Hae litterae, quas legemus paucis sententiis demptis quo facilius intra sequi horam evolvantur, ostendunt saecularium litterarum studia a quibusdam Christianis repudiata esse. In hoc epistolio sententiam clarissimam „Ciceronianus es, non Christianus“ scriptam videmus. Disputabimus num facile fuerit Hieronymo deponere auctores qui classici nominantur, ut sacram scripturam tollerent. Denique non modo de epi-

stula ipsa discipuli loquentur, sed etiam inter nos colloquemur de illius argumento: sitne aliquid scriptorum maiorum hominibus probis vitandum?

16.30-17.00 - Pausa

17.00-18.30

sessio 1 - ALEXEY BELIKOV (*Publicae Academiae Russicae humanitatis studiis colendis*): **Sphinx, sive de Scientia**

Propositum est eam partem e Francisci Baconis libro *De Sapientia Veterum* tractare, qua Sphingis fabula narratur; quam fabulam vir ille illustris sicut allegoriam Scientiae callide nec non eleganter explicat. Placet itaque et fabellam pulchram legere et de rebus sublimibus disputare.

sessio 2 - IGNACIO ARMELLA CHÀVEZ (*Publicae Academiae Mexicanae*): **Quomodo Cicero mundum in secundo de natura deorum libro descripserit**

Ciceronis locus ex secundo libro de Natura Deorum excerpto tractabitur, qui paragraphis a XCVI ad CIV continetur. Quem locum magna cum arte Tullius conscripsit ut, omnibus eis quae videmus perbelle depictis, secundae parti dissertationis de Stoicorum placitis esset prooemio, in qua de Natura rerum, divinae rationis testimonio, verba fiunt. Una omnes attentis animis textum legemus mutatisque verbis explanabimus; ipse etiam Tullianas sententias commentariis variis cum ad grammaticam atque genus scribendi, tum ad ipsam rem sensumque intimum pertinentibus illustrare conabimur. Progymnasmata proponuntur in quibus discipulis locutiones quas invenerimus sint adhibendae atque verborum copia augenda, praecipue nominibus earum rerum de quibus legerimus, ut, e.g., avium vel stirpium vel cicurum animalium, ita ut occasio ad linguam exercendam detur ac lectio vividior reddatur. Hoc enim pacto verba Ciceronis penitus perimari atque rem ipsam, quae forsitan levior cuipiam cum orationibus aliisque dissertationibus comparanti videatur, nonnullius momenti attinentemque ad totum hominum genus invenire poterimus.

sessio 3 - GIUSEPPE MARCELLINO (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **Cum nihil audias nisi bene Latine loquentes, quid obstat, quo minus intra paucos dies ediscas Latine? (Des. Erasm., Colloquia fam., Ars notoria)**

Multi sunt nostris quidem temporibus qui sibi quandam artem memorialem seu memorativam nosse videantur, qua homines multa memoriae man-

dare omnesque liberales disciplinas perdiscere sine labore possint. Quam vero artem Desiderius Erasmus Roterodamus, omnium humanistarum praestantissimus, ut fabulosam, immo vero ridiculam usque adeo despexit ut in illo colloquio, quod *Ars notoria* inscribitur, se ipsum fecerit loquentem. Hoc inter seminarium participes non modo colloquium recitantes singulas sententias Latine explicabunt, verum etiam, si vacaverit, in scaenam producentur. Quod quidem colloquium meditantes participes comperient qua via atque ratione ipsi humanistae linguam Latinam didicerint.

19.00-20.15

sessio communis

BOHUMILA MOUCHOVÁ (*Academiae Carolinae Pragensis*): **De viris illustribus**

De viris illustribus auctores multi et docti, cum antiqui tum posterioris aetatis scripserunt. Elegimus virum, quem paucissimis iisdemque admodum ieiunis verbis auctor incertus saeculo p. Chr. n. quarto vel potius saeculo adhuc incerto laudat, cuius res gestas ad usum discipulorum abbas Lhomond, vir Francogallus (1727-1794), copiosius narrat, quemque ne Petrarca quidem in opere *De viris illustribus* praetermisit. Quid unusquisque supra dictorum Livium imitans in illius viri vita magni momenti aestimaverit, quaeritur. Ne diutius de nomine celemini - tractabimus de vita Lucii Papirii Cursoris (quae brevis est) atque quid sit gloria disputabimus.

20.45 - Cena

Die XXV mensis Iulii

10.00-12.30 - IN BIBLIOTHECAE ACADEMICAЕ AVDITORIO

- Urbis potestates ac magistratus conventus participes salutabunt
- Academiарum institutorumque cultui humanitatiq[ue] provehendis, quae in urbe sunt, professores et praesides adstantibus salutem impertient

– ORATIONES ADITIALES

LÁSZLÓ HAVAS (*Academiae Debrecinensis*): **Lux non exstinguitur: de humanitatis thesauro servando**

ZOLTÁN RIHMER (*Academiae Quinqueeclesiensis*): **De Latinitatis notione et de humanitate Latina**

13.00 - Prandium in sedis municipalis aedibus sumetur

15.00-16.00 - IN FACULTATIS THEOLOGICAE AEDIBUS

sessio 1 - FIDEL RÄDLE (*Academiae Gottingensis*): **De moribus hominum corruptis**

In hoc seminario tractabuntur duo carmina (id est *Carmen Buranum* 6 et 10), quae continent lamentationem satiricam (quamquam urbanam) de moribus hominum et praecipue clericorum illius aetatis corruptis.

sessio 2 - DAVID MORGAN (*Academiae, c.n. Furman in Carolina Meridiana sitae*): **Marci Pauli Veneti Itinerarium: De Indorum orientalium barbarie et humanitate**

Considerabimus quibus notionibus quibusque criteriis adhibitis Marcus Paulus Venetus (vulgo *Marco Polo*) nationum illarum quas cognoverat, mire inter se diversarum, velut censuram egerit, dum hos humano cultu eximios, illos prorsus beluinos iudicat. Recensionem illam Latinam evolvemus, per quam praeprimis Marci Pauli itinerarium Europaeis innotuit.

sessio 3 - GUY LICOPPE (*Operis fundati c.n. Melissa - Bruxellis*): **Relatio de legatione Constantinopolitana, auctore Liutprando, Cremonensi episcopo**

Liutprandus Constantinopolin bis missus est; non agetur de prima legatione eaque iucunda, quam anno 949 apud imperatorem Constantinum VII obiit, sed de secunda et quidem molestissima, cuius officium anno

969 apud imperatorem Nicephorum Phocam Liutprandus confecit. Loci sparsim depromentur legendi.

16.10-17.10

sessio 1 - RÜDIGER NIEHL (*Consilii a CAMENA nuncupati – Academiae Manhemensis*): **De Utopia Thomae Mori eiusdemque artificiorum civilium institutione**

Legetur ex libro secundo caput quod est de artificiiis.

sessio 2 - MATTHEW MCGOWAN (*Academiae, c.n. Fordham Novi Eboraci sitae*): **Lucretii De Rerum Natura**

Hoc in seminario celeberrimos ex libris primo (vv. 803-957) et quinto (vv. 1028- libro 90) tractabimus locos in quibus de litterarum singularum vi propria et originibus linguae et vocum, quibus homines fruuntur, agitur. Quomodo haec praecepta illis *elementis* tum Lucretii operis cum naturae rerum congruant conveniant respondeant rogabitur.

sessio 3 - FRANÇOISE DERAEDT (*Operis fundati c.n. Melissa - Bruxellis*): **Leonis Baptistae Alberti Momus**

Textum una legemus aliisque verbis enarrabimus.

Legentur loci deprompti ex capite III, 30-54 (passim): Apollo Democritum convenit.

17.10-17.40 - Pausa

17.40-18.40

sessio 1 - BOHUMILA MOUCHOVÁ (*Academiae Carolinae Pragensis*): **Muretus et Comenius de adolescentulis ad humanitatem informandis**

Quoniam Marcus Antonius Muretus, humanista Francogallus, plurimos annos in Italia totum animum atque omnem curam, operam diligentiamque suam in iuvenes omni liberali doctrina excolendis posuit, non est abs re perpendere quibus doctrinis iuvenum animos esse ornandos censuerit, quae disciplinarum vincula firmissima quae necessaria esse iudicaverit, quas vias rationesque disciplinarum tradendarum optimas putaverit (*De via ac ratione tradendarum disciplinarum oratio XVIII*). Mureti placita praeceptaque comparantur cum capite XVII Comenii operis quod inscribitur *Novissima linguarum methodus* et cum capite XII. *Pampaediae* eiusdem auctoris celeberrimi (*Schola iuventutis II De exercitiis Pambiblicis*).

sessio 2 - CLAUDIO PIGA (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **Galilaei Sidereus nuncius [1610]**

Legendi sunt loci qui sunt, a) de perspicillo Galilaeiano (« Mensibus abhinc decem fere, rumor ad aures nostras increpuit...»); b) de Mediceis sideribus («Die itaque septima Ianuarii, instantis anni millesimi sexcentissimi decimi...»).

sessio 3 - TERENCE TUNBERG (*Academiae Kentukianae*): **Quibus modis et quibus de causis linguam Latinam medio, quod dicitur, aevo esse corruptam putaverit Desiderius Erasmus Roterodamus, humanista clarissimus**

Nonnullos locos ex operibus Erasmi sumptos inspiciemus unde discamus non solum quid de litterarum Latinarum patrimonio senserit Roterodamus ille, verum etiam quibus rationibus tamquam obrussis adhibitis eloquentiam Latinam iudicaverit.

18.50-19.50

sessio 1 - DOMINIQUE VIAIN (*Academiae Parisinae S. Pio X dicatae*): **Num omnia omnibus noscenda sint: De curiositate**

Legentur loci deprompti ex *Summa Theologiae* Divi Thomae.

sessio 2 - NANCY LLEWELLYN (*Academiae Catholicae Viomingensis*): **Summarium historicum de controversia Vallisoletana, quae saeculo XVI p.Ch.n. exarsit, num bella in autochthonos Indo-Americanos iure gererentur**

Dabitur breve summarium notissimae controversiae Vallisoletanae (A.D. 1550-1551) in qua docti viri Iohannis Genesisius de Sepulveda et Bartholomaeus de las Casas de Indo-Americanis ad fidem Christianam perdendis atque subiugandis Hispanorum imperio acerrime certaverunt.

sessio 3 - ZOLTÁN RIHMER (*Academiae Quinqueecclesiensis*): **Capitularia Caroli Magni de Latinitate renovanda (annis 780-800)**

Reformationis studiorum Carolingicae, per quam tandem lingua Latina a rustica Romanorum lingua coepit usque distingui ac novam quandam normam efficere Latinitatis mediaevalis, pauca eaque parum conspicua supersunt monumenta. Ex iis tamen, quae a Carolo Magno eiusque sociis doctis exarata habemus, aliquatenus mens eorum eruitur de sermone ab ipsis adhibito rationesque suscepti operis adumbrantur.

20.00 - Cena

21.00-22.30 - Monodiariorum biciniorumque acroama in Academia artis musicae edetur

Die XXVI mensis Iulii

9.00-10.00 - IN FACVLTATIS THEOLOGICAE AEDIBVS

sessio 1 - LUIGI MIRAGLIA (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **De pueris ad humanitatem informantis et de paedagogorum officiis**

Cum, teste Platone, rerum publicarum fata maximam partem ex ratione educandi instituendique pueros pendeant, non abs re ducimus de educatione doctrinaque puerili varias diversasque attingentes quaestiones aliquatenus disputare; utrum scilicet rigidiore an remissiore disciplina utendum sit, ad quid sint puerorum animi informantis et quomodo, num semper boni consulendum si puer in libris legendis tempus suum colloct, quae denique vera magistrorum parentumque officia esse debeant. Locos ex scriptoribus sive vetustioribus sive recentioribus excutiemus.

sessio 2 - CLAUDE FIÉVET (*Academiae Palensis*): **In quantum periculum incidere possit qui coemeterium incaute transeat. (*gradus I*)**

Claudius Fiévet tres textus proponet legendos ad varios gradus audientium aptatos. In seminario primo a fabella ex auctore mediaevali excerpta, i.e. a textu facili, proficiscetur, ut eam methodum 'oralem' experimento illustret quae in Universitate Palensi usurpatur ad textus Latinos explanandos atque explicandos, viam didacticam sequens in usu apud antiquos et ab ipsis *praelectionem* nuncupatam.

sessio 3 - DAVID MORGAN (*Academiae, c.n. Furman in Carolina Meridiana sitae*): **Augerii Gislennii Busbequii de Legatione Turcica Epistolae: De Turcarum barbarie et humanitate**

Lepidissimis his epistulis, festivitate plane Erasmica conditis, Busbequius - Caesareus ad Portam Praefulgidam orator - Turcarum mores depingit, illudit, interdum probat etiam. Conabimur rationes eas illustrare, quibus scriptor ludibria laudibus temperat. Inspiciemus inter alia locum sat mirum, in quo servitutis institutum, quod inter Turcas saeviebat, Europaeis imitandum proponitur.

10.10-11.10

sessio 1 - GIACOMO DALLA PIETÀ (*Academiae Venetae*): Quenam ratio Iesuitarum fabulis cum antiquitate intercesserit

De Iesuitarum theatro, praesertim de tragoediis ab iis conscriptis a saeculo XVI usque ad dissolutam Societatem Iesu (anno nempe millesimo septingentesimo septuagesimo tertio) tractabitur. Quomodo sodales Iesu varias res ad antiquitatem pertinentes interpretati sint discipulisque tradiderint, quid de antiquorum fabulis senserint videbimus. De Iesuitarum tragoediis ex antiquorum historia depromptis agetur. Dabitur ut loci selecti enarrentur recitenturque.

sessio 2 - ERZSÉBET GALÁNTAI (*Academiae Segedinensis*): Legenda Margaritae, filiae regis Hungariae Belae IV e stirpe Arpadiana, secundum Marcellum fratrem in opere P. Ransani, quod inscribitur ‘*Epithoma rerum Hungararum*’, tradita (pars prior)

P. Ransanus (1428-1492) genus suum scribendi adaequabat ad auctores antiquos eosque optimos; hac in re autem non unum scriptorem, sed nonnullos auctores sibi elegit: *et antiquos et Christianos*. Quod testatur etiam legenda Margaritae, quam *Christiana pietate humanitateque* insignem auctor noster secundum Marcellum – stilo tantum mutata – scripsit addiditque capitulo vel indici XVI libri sui, quo narrantur res principis memorati (Belae IV, qui fuit rex Hung. 1232-1270). In seminario legentur tractabunturque partes selectae huius opusculi, quo vita (1242-1270), acta nonnullaque miracula regiae virginis continentur.

sessio 3 - JULIE GALLEGRO (*Academiae Palensis*): De Martialis epigrammatis eiusdemque vi ad inimicos adoriendos

Disputabitur de his epigrammatis: *Epigrammata*, I, XIX (*de Aeliae dentibus*); I, LXXI (*quot puellae tot vinum*); I, LXXIX (*de Attali perpetua agitatione*) [II, VII et II, LXVII, *fortasse ad comparandum*]; I, LXII (*quomodo Penelope Helene facta sit*); I, CIX (*Issa*); II, XLI (*de Ovidii risibus et de Martialis fetibus*).

11.10-11.40 - Pausa

11.40-12.40

sessio 1 - TERENCE TUNBERG (*Academiae Kentukiana*): De Ciccone imitando quid dixerint humanistae

De imitandi rationibus apud humanistas usitatis quo certiores fiamus,

locos brevissimos ex operibus Senecae, Hadriani Cardinalis, Pauli Cortesii, Angeli Politiani, Erasmi, Marci Antoni Mureti excerptos diligenter excutiemus.

sessio 2 - LÁSZLÓ HAVAS (*Academiae Debrecinensis*): **Morus Hungaricus sive speculum regium ad principem saeculi luminum vel summae eruditionis scriptum**

Eadem prorsus aetate litterae Latinae in Hungaria coli et „Specula principum”, quae dicuntur – enchiridia scilicet illa quae ad genus quoddam litterarium peculiare pertinent –, vulgari coepta sunt: nam opusculum, quod *De institutione morum, sive admonitio spiritali* inscribitur, Divo illi Stephano adiudicatur, Hungarorum regi primo et Hungariae conditori, atque Emerico duci, tunc puero, dedicatur domestica disciplina instituendo. Quo quidem libello praecepta de moribus atque de ratione civili continentur, quibus imbutus dux, princeps futurus, ad ea animum intenderet, quae Augustorum imperatorum officia esse videbantur.

Haec consuetudo tales scribendi libellos numquam est per saecula intermissa, ut iis operibus ad hoc genus pertinentibus demonstratur, quae Andreas Pannonius aliique scriptores inde a temporibus renaescentium litterarum usque ad barocam, quae dicitur, aetatem exararunt. Quod si ad temporis ordinem spectamus, ultimum hac in serie locum obtinet liber a Francisco Xaverio Szuhányi anno 1790^o Cassoviae editus, cui *THOMAS MORUS* est index; in quo ille, qui olim Britanniae cancellarius fuerat, iuvenem principem docet quid facto opus sit, ut sibi regi futuro gloriam, salutem regno, subditis felicitatem pariat. Scriptor, vestigiis summorum virorum insistens auctoribusque usus et antiquis et recentioribus, cum gentilibus tum Christianis, Iosephum eius nominis secundum notat ac reprehendit, qui impotentissimo dominatu imperium detinuerat, et Felonii laudat sententiam dicentis infelicissimum mortalium esse regem, qui felicitatem metiatur suam ex miseria a se ipso aliis illata. In hoc igitur opere illustrantur virtutes, quas princeps animo colat, atque vitia, a quibus caveat oportet: ibique Thomas ille Morus iam praeclara est imago magistri, qui principem optime instituendum et ad regia informandum officia suscipit, longe ante quam, litteris Apostolicis anno MM datis, gubernatorum ac politicorum virorum mulierumque renuntiaretur patronus.

sessio 3 - FIDEL RÄDLE (*Academiae Göttingensis*): **Fortuna velut luna**

In hoc seminario tractabuntur duo carmina (id est C. B. 16 et 129), in

quibus agitur de inconstantia Fortunae fallacis et de clerico paupere mendico, qui novum amictum a domino suo petere cogitur.

13.00 - Prandium

15.00-16.00

sessio 1 - WOLFGANG SCHIBEL (*Academiae Manhemensis*): **Discipulorum ad humanitatem informatio quomodo ab humanistis qui dicuntur animo repraesentata quaque praecipue via feliciter effecta sit**

Primo scrutabimur, quibus verbis, imaginibus, similitudinibus eruditionis duces et signiferi - Quintilianus scilicet, Petrarca, Erasmus, Vives, Melanchthon, Grotius, Comenius - de hominis natura vel indole, de facultate discendi, de moribus formandis egerint. Illorum doctrinae summam in libro cui titulus *'Primae lineae isagoges in eruditionem universalem'* Johannis Matthiae Gesner (1691-1761) habemus (editio aucta anni 1784 hoc loco invenitur: <http://www.uni-mannheim.de/mateo/camenaref/gesner2.html>). Deinde videbimus, quatenus Gesner consensum auctorum quos supra diximus ut normam sequatur, quatenus res novas introducat, an forte novae illi humanitati, quae inde ab anno millesimo octingentesimo fere praedicabitur, praeludat.

sessio 2 - ZOLTÁN RIHMER (*Academiae Quinquecclesiensis*): **B. Iohannis PP. XXIII Constitutio apostolica «Veterum sapientia» de Latinitatis studio provehendo (die 22 mensis Februarii, anno 1962)**

Documentorum Ecclesiae de Latinitate editorum iure hoc gravissimum aestimatur, quippe quo linguae Latinae in vita ecclesiastica adhibendae rationes theologicae, historicae et practicae in compendium quasi redactae novis institutionis Latinae regulis compleantur. Hic id quoque maxime nostra interest, ut certam quandam notionem Latinitatis ecclesiasticam quaeramus eamque collatis reliquis fontibus interpretemur.

sessio 3 - NANCY LLEWELLYN (*Academiae Catholicae Viomingensis*): **De libris Latinis ab Iohanne Genesis Sepulveda *De Orbe Novo* scriptis**

Cimelia nonnulla ad gentes Indo-Americanas pertinentia ex historiis *De Orbe Novo* ab Iohanne Genesis de Sepulveda deprompta proponentur.

16.10-17.10

sessio 1 - LUIGI MIRAGLIA (*Academiae c.n. Vivarium novum*): ***De Martha et Maria: utrum otium negotio praestet, et utrum vita in actione an in contemplatione rerum poni debeat***

Iam inde ab antiquissimis temporibus acriter disputatum est utrum vita activa contemplativae praestaret; debeatne homo otio non sine litteris suum tempus reservare an totus in rebus agendis versari. De hac iam pridem vexata quaestione locis scriptorum tum antiquorum tum recentiorum perlectis, quatenus ad nostram quoque aetatem pertineat disputabimus.

sessio 2 - TERENCE TUNBERG (*Academiae Kentukianae*): ***De eloquentia Latina post Ciceronis aetatem depravata et corrupta quid senserint oratores Romani***

Brevissimos aliquot locos tractabimus, qui in Senecae rhetoris *Controversiis*, in Quintiliani *Institutione*, in Taciti *Dialogo de oratoribus* leguntur.

sessio 3 - DOMINIQUE VIAIN (*Academiae Parisinae S. Pio X dicatae*): ***De litteris et spectaculis paganorum Christianorumque, quid ad nos pertineat***

Hrotsvithae Gandeshemensis *Praefatio ad opera theatra*

17.10-17.40 - Pausa

17.40-18.40

sessio 1 - RÜDIGER NIEHL (*Consilii a CAMENA nuncupati – Academiae Manhemensis*): ***De Utopia Thomae Mori eiusdemque belli gerendi rationibus***

Legetur ex libro secundo caput *de re militari* inscriptum.

sessio 2 - FRANÇOISE DERAEDT (*Operis fundati c.n. Melissa - Bruxellis*): ***Erasmi Convivium fabulosum***

Textum una legemus aliisque verbis enarrabimus.

sessio 3 - MATTHEW MCGOWAN (*Academiae, c.n. Fordham Novi Eboraci sitae*): ***Ciceronis De finibus bonorum et malorum***

Huius operis legetur initium (1.1-12) in quo Cicero ipse, optimus omnium Romanorum philosophiae interpres, linguam propriam contra eos qui

propter inopiam atque egestatem sermonem Latinum vituperent et se dicant in Graecis legendis operam malle consumere defendit. Illam igitur artem convertendarum sententiarum ex antiquis in nostrae aetatis linguas expendemus et existimabimus.

18.50-19.50

sessio 1 - GUY LICOPPE (*Operis fundati c.n. Melissa - Bruxellis*): **De Petri Gyllii itinere Constantinopolitano**

Petrus Gyllius (Fr. *Pierre Gilles*), Francogallus speculator venatorque naturae, in libro “De vi et natura animalium” Lugduni a. 1533 edito et regi Francisco I dicato monet humanitatis patrimonium esse servandum atque regi suadet ut doctos homines mittat ad explorandas terras, ubi Romanorum cultus civilis floruit. Huic incitamento Franciscus I libenter annuit eumque mittit ad imperium Turcicum lustrandum. Post reditum librum edit c.t. “De topographia Constantinopoleos et de illius antiquitatibus” (Lugduni 1561). De hoc libro loci sparsim depromentur.

sessio 2 - CLAUDIO PIGA (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **Galilaei Discursus et demonstrationes circa duas novas scientias**

Hic liber, Italice a Galilaeo conscriptus [1638], tum Latinitate est donatus et impressus Lugduni Batavorum [1699]. Legendi sunt loci excerpti ex primi diei colloquio, ubi geometricae demonstratur «machinas et structuras maiores pro rata parte minus resistere quam minores», propter eam rationem “sesquialteram” quae, sicut omnes rationes mechanicae, sua fundamenta habet in geometria.

sessio 3 - DOMINIQUE VIAIN (*Academiae Parisinae S. Pio X dicatae*): **Quid inter cultum antiquorum et hominum huiusce aetatis intersit**

Ex Minucii Felicis *Octavio*: de superstitione Romanorum.

20.00 - Cena

21.00-22.30 - Modi musici renaissance edentur a grege c.n. *Renaissance Consort* in oeco deversorii a Tibisco nuncupati

Die XXVII mensis Iulii

9.00-10.00 - IN FACVLTATIS THEOLOGICAE AEDIBVS

sessio 1 - RÜDIGER NIEHL (*Consilii a CAMENA nuncupati – Academiae Manhemensis*): **De Ludovici Holbergi fabula, cui nomen Nicolai Klimii iter subterraneum**

An felices sint futurae res publicae regnantibus philosophis.

sessio 2 - GUY LICOPPE (*Operis fundati c.n. Melissa - Bruxellis*): **De Augerio Gislenio Busbequio eiusque itinere Turcico**

Augerus Gislenius Busbequius (1520/21-1592) fuit physicus et officialis Ferdinandi I, Sancti Imperii Romani Germanici imperatoris. Anno 1554 legatus missus est in imperium Othomanicum, ubi mansit usque ad annum 1562. Ex eius opere c.t. “*Legationis Turcicae epistulae quattuor*” loci depromentur legendi.

sessio 3 - GIACOMO DALLA PIETÀ (*Academiae Venetae*): **Quaenam ratio Iesuitarum tragoediis cum re Christiana intercesserit**

De Iesuitarum tragoediis e narratione Biblica Christianisque litteris depromptis tractabitur. Intercesseritne discrimen aliquod inter Catholicorum Latinas fabulas et fabulas eiusdem generis Protestantium investigabitur. Dabitur ut loci selecti enarrentur recitenturque.

10.10-11.10

sessio 1 - CLAUDE FIÉVET (*Academiae Palensis*): **Quemadmodum inter cenandum tempus iucunde transigi possit (*gradus II*)**

Textus mediae difficultatis, generis narrativi et ex auctore antiquo excerptus, proponetur legendus. De methodo et de exercitationis fine vide seminarium primum (die XXVI habendum).

sessio 2 - FRANÇOISE DERAEDT (*Operis fundati c.n. Melissa - Bruxellis*): **Abelardi *Historia calamitatum***

Textum una legemus aliisque verbis enarrabimus.

sessio 3 - NANCY LLEWELLYN (*Academiae Catholicae Viomingensis*): **Quomodo Latini sermonis tirocinium apte agitur secundum methodum ab Iohanne Rassias excogitamam**

Illustrabitur quam apta sit scholis Latinis agitandis methodus illa ab Iohanne Rassias, clarissimo Francogallici sermonis professore, annis sexagesimis saeculi proxime praeteriti excogitata quae per totum orbem terrarum iam inclaruit sub nominibus “*Dartmouth Intensive Language Model*” sive simplicius “*Rassias Method*”.

11.10-11.40 - Pausa

11.40-12.40

sessio 1 - MICHAEL VON ALBRECHT (*Academiae Heidelbergensis*): **Quid poetae antiqui ad nos (imprimis de Ovidio)**

sessio 2 - WOLFGANG SCHIBEL (*Academiae Manhemensis*): **Quid saeculo duodevicesimo viri doctissimi de sermonis Latini vi atque usu senserint**

Ubi primum eruditionis doctrinaeque ditionem sermo Gallicus Romanorum linguae eripuisse visus est, viri doctissimi de vi atque usu sermonis Latini varie senserunt. Gesner in libro supra laudato linguae Latinae provinciam magnam addicit, imperium vero ubique accipiendum propagare non temptat; usum sane Latine colloquendi scribendique vehementer commendat. Aequalium aliquot scriptorum de hac re argumenta varia lustrabimus; quatenus et hodie valeant, perpendemus.

sessio 3 - TERENCE TUNBERG (*Academiae Kentukianae*): **De lingua Latina aetate litterarum renatarum reparata et restituta**

Humanistae, qui tam in Italia quam in Europa septentrionali saec. XV et XVI floruerunt, linguam Latinam esse restitutam et ad nitorem pristinum sua ipsorum opera revocatam credebant. Quo iure talia asseverare audebant? Scrutabimur locos aliquot eosque satis breves ex operibus electos, quae condiderunt Laurentius Valla, Marcus Antonius Sabellicus, Desiderius Erasmus, Philippus Melanchthon.

13.00 - Prandium

15.30-16.30 - Sacra Latina in Ecclesia cathedrali celebrabuntur.

17.00-18.00

sessio 1 - JULIE GALLEGO (*Academiae Palensis*): **De variis Romae aetatibus ut Florus in sui operis initio eas divisit**

Legentur et excutientur duo excerpta ex *Epitoma de Tito Liuiio*, quae sunt proemium vel initium de Romae aetatibus et *Anacephalaeosis* de septem regibus vel *Historiae Romanae summarium* [VIII].

sessio 2 - CLAUDIO PIGA (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **Francisci Baconis *Novum organum* [1620]**

Legendi sunt loci: a) qui sunt de methodo inquirendae rerum naturae (I, 1-17; 105; 108); b) qui exemplum inquisitionis per tabulas circa formam calidi (II, 11-13; 20) praebent. Sunt nempe tres adhibendae tabulae: Tabula absentiae et praesentiae, tabula declinationis et tabula graduum.

sessio 3 - DAVID MORGAN (*Academiae, c.n. Furman in Carolina Meridiana sitae*): **Iohannis Lerii *Historia Navigationis in Brasiliam: De Anthropophagorum barbarie et humanitate***

Lerius (vulgo *Jean de Lery*), iuuenis Calvinista, theologiae adhuc candidatus, missus est in Brasiliam, ut Tupinambarum nationem ad veram religionem converteret. Cuius itinerario perlecto, suspicaberis fortasse – neque iniuria – auctorem verius conversum esse quam convertisse. Locum unum inspiciemus ubi barbarorum nuditatem memorat neque reprobatur, alterum quo eorundem epulas humanas graphice depingit – quas tantum non excusat. Michael Montanus Gallus, in notissimo schediasmate quod “*Des Cannibales*” inscribitur, Lerii vestigiis instituisse videtur.

18.00-18.30 - Pausa

18.30-20.30 - Participes sinum urbis et synagogam Iudaicam lustrabunt.

20.30 - Cena

Die XXVIII mensis Iulii

9.00-10.00 - IN FACULTATIS THEOLOGICAE AEDIBVS

sessio 1 - DOMINIQUE VIAIN (*Academiae Parisinae S. Pio X dicatae*): **De bono qui dicitur barbaro**

De insulis nuper in mari Indico repertis: ‘Epistola Christoferi Colom quam nobilis ac literatus vir Aliander de Cosco ab Hispano ideomate in latinum convertit...’

sessio 2 - LUIGI MIRAGLIA (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **De veterum ac nostri temporis theatrocratia**

Quam Plato in opere quod *De legibus* conscripsit *theatrocratiam* nuncupavit, ea hodie quam maxime vigere et valere ubique videmus. Sunt qui dicant inde non parva hominibus venisse commoda: posse enim nuntios celerrime divulgari, omnibus dari copiam aperiendi quod sentiant, coniungi homines vel maxime inter se locorum intervallis dissitos; praeterea discuti taedium atque iucundis delectamentis otiosas repleri horas. Quibusdam locis scriptorum sive antiquorum sive recentiorum excussis, utrum ex illa theatrocratia maiora bona an mala provenerint disputabimus.

sessio 3 - KURT SMOLAK (*Academiae Vindobonensis*): **De Sulpicii Severi vita S. Martini, Hungariae postea patroni, lectio prior**

Mihi in animo est participibus cooperantibus enucleare, quantum Sulpicius debuerit vitarum historiarumque 'scriptoribus atque poetis' paganis et fortasse etiam Christianis.

10.10-11.10

sessio 1 - DIRK SACRÉ (*Academiae Lovaniensis*): **De Iusti Lipsi dicendi genere**

Gallinaceo more litterulas pingere solebat Lipsius; ob id ipsum dum epistulam quandam manu eius exaratam legere conamur, Latinitatem optime exercebimus. Praeterea de singulari dicendi genere Lipsiano verba sumus facturi, quod et exemplis allatis illustrabitur.

sessio 2 - MICHAEL VON ALBRECHT (*Academiae Heidelbergensis*): **De hominis dignitate quid scriptores Latini senserint**

sessio 3 - CHRISTIAN LAES (*Academiae Antuerpiensis*): **Ad Quintilianum epistula**

Utrum veterum paedagogica placita adhuc valeant, quaeretur in hac sessione, in qua epistula quadam ficticia sumus usuri, quam Albino ille Luciani (postea papa Iohannes Paulus I) ad Quintilianum scripsit. Interpretationem legemus Latinam, iuxta quam textus Italicus positus.

11.10-11.40 - Pausa

11.40-12.40

sessio 1 - BOHUMILA MOUCHOVÁ (*Academiae Carolinae Pragensis*):
De principe liberalibus studiis dedito

Comparabuntur partes vitae Titi et Traiani ab Eutropio compositae cum vitis eorundem imperatorum ab auctore ignoto qui Epitomam conscripsit, nec non cum Orosio Christiano. Deinde quaeretur quam curam Suetonius in describenda vita Titi (ceterorumque imperatorum) ad eorum studia liberalia impenderit, quae sit causa, cur ceteri studia liberalia praetereant et alia laudibus extollant.

sessio 2 - KURT SMOLAK (*Academiae Vindobonensis*): **De Sulpicii Severi vita S. Martini, Hungariae postea patroni, lectio posterior**

Indagabimus quid poetae qui Sulpicium Severum sunt secuti velut Paulinus Petricordiae et Venantius Fortunatus relationi ipsius addiderint vel quibus rationibus historiam in formam carminum epicorum transtulerint.

sessio 3 - NANCY LLEWELLYN (*Academiae Catholicae Viomingensis*):
Quomodo Latini sermonis tirocinium apte agitetur motibus corporis ac fabellas concinnando secundum rationes “TPR” et “TPRS” vocatas

Illustrabitur quam aptae sint discipulis Latine erudiendis rationes docendi quas Iacobus Asher et Stephanus Krashen, clarissimi rei linguisticae professores, invenerunt. Hic enim quantopere imperativi modi usus in linguis addiscendis valeat primus intellexisse videtur; ille vero fabellulas narrando, adiuvantibus et rudissimis discipulis, iucundam efficacem atque usu iamiam probatam docendi rationem excogitavit.

13.00 - Participes raedis longis vecti oppidum petent lustrandum c.n.
Ópusztaszer

13.30 - Prandium

15.00-17.00 - IN AUDITORIO AEDIFICII ROTUNDI

— ACROASES FIENT

LÁSZLÓ SZÖRÉNYI (*Academiae Scientiarum Hungaricae*): **De Argonauticis, fabula Romanensi Andreae Dugonicii**

SZABADOS GYÖRGY (*Academiae Segedinensis*): **De Arpad duce deque stirpe Arpadiana**

TERÉZIA DÉR (*Academiae Segedinensis*): **De Stephano I et Ladislao I, Sanctis Regibus Hungarorum**

TAMÁS NÓTÁRI (*Academiae Budapestinensis a Carolo Gáspár nuncupatae*): **De ridiculo atque ironia in Ciceronis oratione pro Murena**

17.00-17.30 - Pausa

19.00-19.45 - Equitum spectaculum praebebitur

20.00 - Cena

21.00-22.30 - Carmina Burana inter monasterii Benedictini parietinas edentur a grege c.n. *Bourdon Trio*

Die XXIX mensis Iulii

9.00-10.00 - IN FACULTATIS THEOLOGICAE AEDIBVS

sessio 1 - CHRISTIAN LAES (*Academiae Antuerpiensis*): **De ratione pueros instituendi apud Romanos**

Fragmentis auctorum Romanorum, praesertim Quintiliani, necnon variis imaginibus perpulchris, curriculum educationis Romanae illustratur. Idque rogatur, quid auctores ipsi de nutricibus, de paedagogis, de ludimagistris, de grammaticis rhetoribusque senserint.

sessio 2 - GIANCARLO ROSSI (*Operis Fundati, c.n. Latinitas*): **Federici Cardinalis Borromaei archiepiscopi mediolanensis *Musaeum***

Liber Federici Borromaei, non minus eleganter quam proprie conscriptus, occasionem praebebit imagines proponendi tabularum, quae in Pinacotheca Ambrosiana asservantur, adeo ut, more Comeniano, aures visu adiuventur.

sessio 3 - GIACOMO DALLA PIETÀ (*Academiae Venetae*): **Quaenam ratio intercesserit Iesuitarum Latinis fabulis cum profano theatro iidem temporibus vernaculis linguis exculcto**

Perlegendi comparandique locos copia dabitur. De apparatus scaeni-

cis a Societatis Iesu patribus instructis tractabitur. Quantum et quatenus ars musica in Iesuitarum tragoedias inducta sit indagabitur. Quam cognatione hae fabulae cum fabulis melicis coniunctae sint investigabitur.

10.10-11.10

sessio 1 - ZOLTÁN RIHMER (*Academiae Quinquecclesiensis*): **Laurentii Vallae “*Elegantiarum linguae Latinae*” Praefatio (c. annum 1440)**

Hoc opus imprimis technicum, quo usus linguae Latinae classicus ex ipsis eius fontibus derivatus, explicatus et illustratus primum post grammaticos antiquos altiore quadam ratione proponitur, maximi ponderis fuit in studiis humanitatis renovandis cultuque renatarum litterarum quam latissime diffundendo. Operae igitur pretium est videre quomodo Praefatio ad primum librum ostendat quibus in scribendo consiliis quaque Latinitatis notione auctor ductus sit.

sessio 2 - MATTHEW MCGOWAN (*Academiae, c.n. Fordham Novi Eboraci sitae*): **Senecae *Epistulae morales***

Participes huius seminarii operam dabunt *Epistulae CXIV* in qua philosophus Stoicus artem dicendi scribendique studiose considerans scrutatur quemadmodum sermo hominis publicos mores indicet. Nos quoque exemplo Senecae cogitabimus atque disputabimus de proverbio illo Graeco: talis hominibus fuit oratio qualis vita.

sessio 3 - JULIE GALLEGO (*Academiae Palensis*): **De miraculis prodigiis monstrisque quae ad Caesares pertineant in Suetonii narrationibus**

Tractabitur locus e *Vita Divi Augusti* a Suetonio conscripta (XCIV-XCV), quo narrantur qualia prodigia divi Augusti magnitudinem eiusdemque eximias victorias et e morbo mortem portenderint.

11.10-11.40 - Pausa

11.40-12.40

sessio 1 - FIDEL RÄDLE (*Academiae Gottingensis*): **De amoris vi**

In hoc seminario duo carmina Burana (id est C. B. 117 et 158), quibus celebratur vis amoris, excutiemus.

sessio 2 - DIRK SACRÉ (*Academiae Lovaniensis*): **De Iohanne Pascoli et ‘Thallusa’**

Hoc carmine nil suavius, nil delicatius, nil moventius excogitari potuisse exeunte saeculo XIX, ineunte XX cum persuasum habeamus, versus eos enarrare conabimur; cuius fragmenta quaedam penitus inspiciemus.

sessio 3 - MICHAEL VON ALBRECHT (*Academiae Heidelbergensis*): **De recondita animi conscientia apud Senecam et divum Augustinum**

13.00 - Prandium

15.00-16.00

sessio 1 - KURT SMOLAK (*Academiae Vindobonensis*): **De Horatii carmine I,22 (“Integer vitae ...”)**

Horatius carmine vicesimo secundo libri primi odarum, quo carmine Catulli poemata quodragesimum quintum et quinquagesimum primum sagaciter retractans in suum usum convertit, integrum vitae scelerisque purum a quolibet damno vel periculo in omni parte orbis terrarum, licet plenissima sit incommoditatum ac monstrorum, tutum esse affirmat, rem ipse expertus: nam lupum immanem se inermem in vicinitate praedii sui in Sabinis siti ambulantem et carmen amatorium in laudem suae Lalages meditantem sponte fugisse. Cuius fuga animo firmatus se, ubicumque sit positus, Lalagen dulce loquentem dulceque ridentem amaturum esse promittit. Si qui quaerat, quis sit Lalage illa, ab ipso nomine, quo avium cantus suavis atque hilaris Graece indicari potest, naturam eius discet: quod tamen nomen non tam ad certam quandam puellam videtur referri – quamquam id non plane est negandum – quam ad ipsam poesin lyricam amatoriamque. Hoc quo facilius ab iis, qui legunt, comprehendatur, poeta, ut aliis quoque locis carminum fecit, translationibus significatus assonantiis vel sensus similitudine effectis utitur: neque enim, ut exemplum afferam, sine causa Mauros, id est colore obscuro infectos, nominat, cum Fuscum amicum alloquitur ...

sessio 2 - RÜDIGER NIEHL (*Consilii a CAMENA nuncupati – Academiae Manhemensis*): **Uldericus Huttenii Crotique Rubeani Epistulae obscurorum virorum, sive de lite circa libros Iudaeorum exorta**

Legentur (particulatim) epistulae prima, secunda, nona, undecima, decima sexta, tricesima quinta.

sessio 3 - GIANCARLO ROSSI (*Operis Fundati, c.n. Latinitas*): **De Vitruvio**

16.10-17.10

sessio 1 - CHRISTIAN LAES (*Academiae Antuerpiensis*): **De praeceptoribus atque discipulis**

Quintilianus variis locis placita sua paedagogica proposuit: quando pueris institutio litteraria incipienda sit, qua aetate Graece discere debeant, quomodo pueri tractandi sint, praeceptor atque discipulus quales esse debeant. His de quaestionibus inter sessionem disputabitur, fontibus ipsis, id est textibus Quintiliani, diligenter circumspectis.

sessio 2 - ANDREAS FRITSCH (*Academiae Berolinensis*): **De sermone cottidiano ex fabulis Phaedri discendo**

sessio 3 - CLAUDE FIÉVET (*Academiae Palensis*): **Neminem otiosum dici posse qui sibi non vacet (*gradus III*)**

Textus aliquanto difficilior, generis philosophici, legendus proponitur. De methodo et de exercitationis fine vide seminarium primum (die XXVI habendum).

17.10-17.40 - Pausa

17.40-18.40

sessio 1 - KURT SMOLAK (*Academiae Vindobonensis*): **De luscinia in litteris Latinis laudata**

Constat lusciniam, quae secundum fabulam ab Ovidio aliisque posteris traditam media aetate paene semper philomela vocabatur, ob cantum perfectione harmoniae nec non melodiae suavitate excellentis multis variisque carminibus Latinis per totum medium aevum praedicatam esse: id tamen diversis fiebat modis diversisque scopis ac finibus. Nam neglecta plane fabula antiqua avis illa cum earum, quae modo allatae sunt, virtutum gratia laudabatur, tum vel maxime propter singularem pietatem morumque ac vitae eximiam sanctitatem. Inde factum est, ut extremo medio aevo formam ipsius Christi patientis et crucifixi repraesentaret. Haec allegorica luscinae interpretatio mirum in modum concordat cum historiola origine Persica, quam Ansgarius Wilde, scriptor ille Hiberno-anglicus in sua tempora translata adhibuit, ut mulierum duritiam cordis notaret.

sessio 2 - ERZSÉBET GALÁNTAI (*Academiae Segedinensis*): **Legenda Margaritae, filiae regis Hungariae Belae IV e stirpe Arpadiana, secundum Marcellum fratrem in opere P. Ransani, quod inscribitur ‘*Epithoma rerum Hungararum*’, tradita (pars altera)**

P. Ransanus (1428-1492) genus suum scribendi adaequabat ad auctores antiquos eosque optimos; hac in re autem non unum scriptorem, sed nonnullos auctores sibi elegit: *et antiquos et Christianos*. Quod testatur etiam legenda Margaritae, quam *Christiana pietate humanitateque* insignem auctor noster secundum Marcellum – stilo tantum mutatam – scripsit addiditque capitulo vel indici XVI libri sui, quo narrantur res principis memorati (Belae IV, qui fuit rex Hung. 1232-1270). In seminario legentur tractabunturque partes selectae huius opusculi, quo vita (1242-1270), acta nonnullaque miracula regiae virginis continentur.

sessio 3 - MATTHEW MCGOWAN (*Academiae, c.n. Fordham Novi Eboraci sitae*): **Auli Gellii *Noctes Atticae***

Praefatione huius illustris epitomatoris doctrinae antiquae perlecta nos ad ‘annotationes’ eruditas, quae ad res rhetoricas et litterarum vim (e.g. ex libri quarti initio) spectant, convertemus. Sicut A. Gellius ipse, hoc e seminario primitias quasdam et quasi libamenta ingenuarum artium volumus libare.

18.50-19.50

sessio 1 - DIRK SACRÉ (*Academiae Lovaniensis*): **De Maphaei Barberini sive Urbani VIII P.M. carminibus iuvenilibus**

Maphaeus ille Barberinus, qui postea sumpto Urbani nomine Christi vicarius est factus, iuvenili ardore poematia Latina conscripsit; quae diu lauerunt inedita. Nos nuperrime in lucem edita lectitabimus et si quid erroris offenderimus (offendemus autem menda haud pauca), scrutabimur uter admiserit errores, poeta ipse an mulier docta, quae versus in lucem protulit publicam.

sessio 2 - CLAUDIO PIGA (*Academiae c.n. Vivarium novum*): **Ioannis Baptistae a Vico *Institutiones oratoriae* [1711]**

Legendi sunt loci a) de Latinae linguae aetatibus (“Non sat esse recte didicisse grammaticorum praeceptiones ut quis Latine loquatur...”: caput 36); b) de tropis, figuris verborum sententiarumque qui usui sint ad intimas rationes, seu etiam fallacias, detegendas, quae huius nostrae aetatis praeconiis insunt (loci excerpti e capitibus 39-61).

sessio 3 - ANDREAS FRITSCH (*Academiae Berolinensis*): “**Latium redivivum**”

Hoc libello Comenius anno 1657 Amstelodamensibus proposuit, ut civitatulam Latinam conderent.

20.00 - Cena

21.00-22.30 - Sollemnior symphonia modorum classicorum, moderante Sándor Gyüdl, in area ante Ecclesiam cathedralem dabitur

Die XXX mensis Iulii

9.00 - Participes raedis longis vecti Budapestinum petent

11.30-13.00 - Mirabilia urbis lustrabuntur

13.00 - Participes in aedes Instituti cultui Italico provehendo recipientur. Prandium ibidem apponetur

15.30-17.30 - Participes sua cubicula occupabunt

17.30-19.30 - Mirabilia urbis lustrabuntur

20.00-22.00 - Iter fluviale in Danuvio suscipietur. In ipsa navi dapes apponetur

Die XXXI mensis Iulii

9.00-13.00 - Participes mirabilia urbis lustrabunt

13.00 - Prandium

15.30-16.30: IN AEDIBUS BIBLIOTHECAE PUBLICAE A STEPHANO SZÉCHÉNYI NUNCUPATAE ET IN ARCE BUDENSI SITAE

sessio 1 - MICHAEL VON ALBRECHT (*Academiae Heidelbergensis*): **De Roma et Europa per saecula et hominum aetates**

sessio 2 - ANDREAS FRITSCH (*Academiae Berolinensis*): **Quid nos ex I.A. Comenii “*Novissima linguarum methodo*” (1649) discere possimus**

sessio 3 - GIANCARLO ROSSI (*Operis Fundati, c.n. Latinitas*): **De Leone Baptista Alberti**

16.40-17.40

sessio 1 - DIRK SACRÉ (*Academiae Lovaniensis*): **De Vivis et Erasmi colloquiis inter se comparatis**

Una legemus locos quosdam ex Erasmi colloquiis selectos quos dein comparabimus cum Iohanne Ludovico Vive, quo utriusque operis indoles clarius pateat.

sessio 2 - FIDEL RÄDLE (*Academiae Gottingensis*): **De “*Confessione Archipoetae*”**

In quarto seminario tractabitur carmen illud celeberrimum (C. B. 191), quo Archipoeta ille doctus et iucundus peccata sua enumerat, deplorat vel confitetur ironice, qua de causa „*Confessio Archipoetae*“ nominetur.

sessio 3 - WOLFGANG SCHIBEL (*Academiae Manhemensis*): **Utrum humanitas inde a Petrarca usque ad hunc diem una eademque fuerit, an plures illius formas aetatesque secernamus oporteat**

Ex eo tempore quo primi humanistae qui dicuntur se medio quodam aevo minoris pretii ab antiquis distare arbitrati sunt, historia Europae epochis ita distinguitur, ut inaequabilis aetatum atque morum varietas appareat. Humanitatis vero studia aetatum quasi cancellis intercludi vix patiuntur. Nonne cum auctoribus cuiusvis aevi colloquimur? Nonne ubique res et verba vera, pulchra, dulcia inveniuntur, quae agnoscimus ac bene aestimamus? Quin immo ipsam humanitatem, cui studemus, distinguere atque divelli voluerunt historici et philosophi saeculi undevicesimi, qui, auctores classicos suae nationis in caelum tollentes, renatarum litterarum auctores perquam magnos despexere, cum virtutem sapientiamque velut a germine cuique proprio oriundas sponte evolvi censuissent. Nos vero huius erroris fontes atque documenta inspiciemus, partes contrarias tuebimur.

17.45 -18.15 - Pausa

18.30-19.30 - IN AEDIBVS ACADEMIAE SCIENTIARVM IN ARCE BVDENSI
SITIS

- Conventus sollemniter concludetur

20.00-21.00 - Cena

21.00-22.30 - Conventus clavichordii edetur

Kalendis Augustis

Participes proficiscentur

Index moderatorum

- Michael VON ALBRECHT (*Academiae Heidelbergensis*)
Giacomo DALLA PIETÀ (*Academiae Venetae*)
Terézia DÉR (*Academiae Segedinensis*)
Françoise DERAEDT (*Operis fundati c.n. Melissa - Bruxellis*)
Claude FIÉVET (*Academiae Palensis*)
Andreas FRITSCH (*Academiae Berolinensis*)
Erzsébet GALÁNTAI (*Academiae Segedinensis*)
Julie GALLEGO (*Academiae Palensis*)
László HAVAS (*Academiae Debrecinensis*)
Christian LAES (*Academiae Antuerpiensis*)
Guy LICOPPE (*Operis fundati c.n. Melissa - Bruxellis*)
Nancy LLEWELLYN (*Academiae Catholicae Viomingensis*)
Matthew MCGOWAN (*Academiae, c.n. Fordham, Novi Eboraci sitae*)
Luigi MIRAGLIA (*Academiae c.n. Vivarium Novum*)
David MORGAN (*Academiae, c.n. Furman, in Carolina Meridiana sitae*)
Bohumila MOUCHOVÁ (*Academiae Carolinae Pragensis*)
Rüdiger NIEHL (*Consilii a CAMENA nuncupati – Academiae Manhemensis*)
Tamás NÓTÁRI (*Academiae Budapestinensis a Carolo Gáspár nuncupatae*)
Claudio PIGA (*Academiae c.n. Vivarium Novum*)
Fidel RÄDLE (*Academiae Gottingensis*)
Zoltán RIHMER (*Academiae Quinqueecclesiensis*)

Giancarlo ROSSI (*Operis Fundati c.n. Latinitas*)
Dirk SACRÉ (*Academiae Lovaniensis*)
Wolfgang SCHIBEL (*Academiae Manhemensis*)
Kurt SMOLAK (*Academiae Vindobonensis - Corpus Scriptorum
Ecclesiasticorum Latinorum*)
György SZABADOS (*Academiae Segedinensis*)
László SZÖRÉNYI (*Academiae Scientiarum Hungaricae*)
Terence TUNBERG (*Academiae Kentukianae*)
Dominique VIAIN (*Academiae Parisinae S. Pio X dicatae*)